HUGO DE SANCTO VICTORE. HUGO DE FOLIETO. HILDEGARDIS BINGENSIS
4. Viertel 12. Jh. Seite 83r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36647
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



diret. Quis quis huiusmodi meditationibus ante orationis tempus animum suum exercuit, in prouidus fortassis, et tepidus ad orationem non uenit; Meditatio namque assidua scientiam parit. Scientia uero parta ignorantiam pellit. et conpunctionem parit. Conpunctio autem parta desidia fugat. et deuotionem parit. Deuotio uero orationem perficit. Scientia est qua homo ad agnitionem sui illuminatur. Conpunctio est quando ex consideratione malorum suorum cor interno dolore tangitur. Deuotio est pius et humilis affectus in deum qui ex conpunctione generatur. Territus enim magnitudine malorum suorum animus et diffidens de propriis uiribus ad deum secuertit. et tanto ardentius patrocinium illius expetit quanto sibi nichil extra deum relictum esse uidet in quo confidere possit. Deuotio igitur est conuersio in deum pio et humili affectu. Humilis enim est ex conscientia infirmitatis sue. Pius est enim ex consideratione diuine clementie. Hec in se tres principales uirtutes habet. fidem spem. caritatem. Neque enim homo per deuotionem se ad deum conuertet nisi et crederet se ab eo saluari posse. et sperare eum misereri uelle. Postremo nisi eum plusquam mala sua diligeret. nequaquam illa fugiens refugium sibi in ipso eligeret. Credit ergo. sperat. et diligit. credit potentiam. sperat misericordiam. amat custodiam. Nichil ergo aliud est oratio quam mentis deuotio. id est conuersio in deum. per pium et humilem affectum. fide. spe. et caritate subnixa. Sed quia multis modis mens per deuotionem accenditur. rursumque ipsa deuotio mentis uariis modis uoce promitur. debemus aliquas singillatim orationis species distinguere. ut apertius ualeamus uirtutem eius indicare. Tres sunt species orationis. Suplicatio. postulatio. insinuatio. Supplicatio est sine determinatione petitionis. humilis et deuota precatio. Postulatio est determinate peticionis inserta narratio. Insinuatio est sine petitione per sola narrationem uoluntatis facta significatio. Tria sunt genera supplicationum. Captatio. exactio. pura oratio. Captacio est quod fit ante postulationem ad preparandum et inclinandum animum auditoris. quod tribus modis facimus. Primo cum aliquid dicimus. quod personam uel causam nostram conmendet.